

*d.a. consentur data in mutuum, vel in locatum, vel in venditum, secundum
conventionis diuersitatem.*

15 *Animus verbis, & factis declaratur.*

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit, & quæ requirantur?



PRIMO sane consilio à maioribus nostris factum arbitror, vt ipso tractationis initio, illius quæ de aliqua re Institutionis suscipitur, definitio tradatur, in qua veluti per compedium vno quasi intuitu vniuersa spectentur, quæ in tota deinde tractatione fusi sunt disputanda ad l. omnes definitio iunct. l. 1. de reg. iuris. Ego itaq; qui hanc rectam docendi methodum, ab omnibus omnium gentium seculorumq; scriptoribus, & præsertim à Cicerone libro primo Officiorum approbatam reperio, tantos viros sequutus, quid, & quotuplex sit societas, prius tradere optimum duxi: scire enim quid nominis, principium esse Doctrinæ testatum reliquit ille methodi primus, ac supremus omnium obseruator Aristoteles quarto Phisicorum.

Verum enim verò antequam ad definitionem huiusmodi descendam, aduertendum est societatis hoc nomen nimis genericum esse, & aliquando posse significare adunationem hominum ad aliquid perficiendum, vt docet B. Thomas Opusc. contra Religionis impugnatores, cap. 5. Aliquando societatem incidentem, vt Doctores distinguunt; Aliquando verò conventionalem, id est contractum qui fieri solet à duobus vel pluribus maioris comodi causa, vel vberioris quæstus: De prioribus duabus societatis speciebus hic acturus non sum; sed de tertia quæ in nomen contractus incidit meus erit tractatus.

Definitur itaq; hæc societas, per gl. Rubr. Instit. De societate. Contractus, siue duorum, pluriumve conuentio, honestè contracta ad vberiorem quæstum, & commodiorem vsum.

Verum magis placet definitio, quæ elicitur ex toto titulo Digestorum, & Codicis Pro socio, & ex titulo Institutionum de societate, & quam ponit Azor. in Instit. mor. par. 3. lib. 9. De soc. & mand. cap. 1. quæst. 2. nempe: Duorum, pluriumve conuentio voluntate contrahendæ societatis honestæ, ex pecunijs, opera industria, & bonis singulorum inter ipsos communibus, ad vberiorem quæstum, & commodiorem vsum: Ita (inquam) definit Azorius loco præcit. vbi etiam verba talis definitionis optime ponderat, & ex illis requisita ad societatem deducit cap. 2.

Multi-

3 Multiplex autem est hæc societas conventionalis, secundum scribentium considerationem: Alia enim est societas inita super re particulari: Alia quæ contrahitur super aliqua particulari, & speciali negociatione: Alia super omnibus bonis: Alia quæ dicitur societas vniuersorum, quæ ex quæstu descendunt: Alia vita: Alia denique vectigalis; De quibus omnibus speciebus quantum pro introductione satis sit, breuiter hic attingere, necesse esse existimaui.

3 Rei particularis societas, contrahitur cum duo vel plures animo societatis contrahendæ aliquam rem emunt *tex. est in l. cum proponas 2. Et ibi gl. C. pro socio. & facit l. actione. ob. S. item si. ff. pro socio. & l. 2. ff. commun. diuid. Quo casu ultra illam rem societatem non extendi clarum est. Plain Inst. De soc. in pr.*

4 Societas alicuius specialis negociationis contrahitur cum ad aliquam artem exercendam, siue mercaturam, duo vel plures conueniunt. *facit l. cum duobus 52. S. cum erant. & l. duo. 72. ff. pro socio. & hi mercatores dicuntur. DD. & præsertim Baran. l. 2. ff. vbi pup. educ. deb. & in l. legatis seruus. ff. de leg. Quo casu omnia solum, quæ ex illa negociatione proueniunt communicanda sunt inter socios. Vide Pet. de Anchar. conf. 402. & Ferrinfor. lib. cap. 1. nu. 9. Alia autem non item. Vt d. l. cum duobus 52. S. ff. & l. Corri. 7. cum seq. ff. pro socio.*

5 Huic secundæ societatis speciei conuenit societas animalium, quam vulgò soccitam appellant, de qua tractant *Ang. de Perg. par. 2. De soc. Contr. de contract. q. 88. & alios refert Azor. Inst. mor. par. 3. lib. 9. de societ. cap. 7. Hæc contrahitur tum in animalibus maioribus, quæ & armenta dicuntur, & sunt equi, boues, & asini: Tum etiam in animalibus minoribus, quæ greges nuncupantur, & sunt oues, capræ, & porci. Quando contrahitur in maioribus, ad quinquennium solet contrahi: quando verò in minoribus ad triennium tantum. Ang. societas 2. nu. 5. & Syluest. eo. ver. 2. q. 6. Et in hac comunicantur fetus animalium, lac, butyrum, lana, pelles &c. & impensæ quæ fiunt, & damna quæ occasione ipsius euenerint. ita Azor. loco cit. versic. 1. queritur.*

6 Conuenite etiam potest huic secundæ societatis speciei, societas officij, quæ in Curia Romana est vsitatissima, & de hac tractat *Azor. inst. mor. lib. 9. par. 3. cap. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. De soc. Hæc autem fit quando quis aliquo officio fungitur, & alios sibi socios adsciscit, cum quibus comunicat fructus, quos ex officio percipit. id. Azor. loc. cit. c. 1. & cap. 8. vbi formulam Instrumenti huius societatis ponit; & cap. seqq. vbi latè de conditionibus requisitis ad huiusmodi societatem tractat, quas omnino apud eum vide. Ego enim eas hic ponere non curavi, nec de hac societate latius differere, quia extra Romanam Curiam non ita frequenter hoc genus societatis vsitatur.*

7 Societas omnium bonorum contrahitur quando expressè agitur sub

A a nomine

- nomine vniversali; vt not. per gl. in l. 3. §. 1. & l. Societatem vniversor. 74. & d. l. cum duobus §. 2. §. si fratre ff. pro socio. secundum Fer. in for. libel. cap. 1. nu. 2. & cap. 3. nu. 1. vbi extendit talem societatem contractam intelligi, etiam si pactum, vnde cumq; quaesita comunicandi, non esset expressum, & dicit pro expresso hoc casu haberi, licet pro bono consilio dat quod semper tale pactum exprimat: quod voluit etiam Paris. cons. 84. in prin. vol. 1. vide Pet. de Perus. tract. de duob. fratr. par. 3. col. 44. & Ludo. Rom. cons. incip. cum isti fratres, & Pet. de Perus. cons. incip. ex praedicto, & Paul. de Castr. cons. 185. Et tunc communicantur tum ea bona quae tempore societatis possidebantur a socijs, vt l. 1. & l. 3. §. 1. ff. pro socio. hac praesertim ratione, quia contracta societate ipso iure possessio, & dominium de vno transit ad alium pro qualibus portionibus. l. 2. ff. pro socio. & Iason in l. si socius. ff. si cert. pet. Tiraq. de iur. const. Ampl. 32. nu. 6. circa fin. Gom. sup. nu. 3. vers. item quero. De present. non fut. Tum etiam comunicantur hereditates, legata, donata, aut alia quacumq; honesta tamen ratione acquisita. l. 3. §. cum specialiter, & d. l. cum duobus. §. 2. §. si inter & §. socium, & l. si societatem vniversorum 74. ff. pro socio. Gomez. sup. nu. 4. vbi declarat. & Pet. de Vbal. tract. de duob. fratr. par. 5. princ. Secus si ex inhonesta ratione acquisita fuerint, nam de heritorum turpis, & facta est communio, l. quod autem §. 3. cum quatuor ff. pro socio. & vid. Capic. decis. 180. nu. 18. Io. Lup. in rep. c. per vestras in Rubr. de don. int. vi. & vxor. §. 65. nu. 13. & Ferar. late in for. libel. c. 1. nu. 4. & 5. Vbi infert doctrinam ad duo saepe occurrentia, & de hoc vide etiam Ang. cons. 81. cum seq. ff. pro soc.
9. Societas vniversorum, quae ex quaestu descendunt, contrahitur quando simpliciter duo vel plures faciunt societatem, non expresso certo negotiationis genere, nec expresso nomine vniversali: omnium bonorum: Et tunc licet talis societas possit referri ad omne genus societatis, tamen ea tantummodo intelligitur contracta, quae respicit quaestum, qui ex opera, industria, & diligentia acquiritur; Non autem qui ex fortuna, & vltimis voluntaribus. Ita Oinol. Inst. de societ. in prin. num. 5. Et ideo ea solum inter socios comunicanda veniunt; non autem hereditas, legata, & donata. secundum eund. Oinol. loco cit. per tex. in l. Corri. 7. cum seq. ff. pro soc.
10. Societas vitae contracta tunc videtur, quando duo fratres, vel plures in eadem domo simul ad vnum panem, & vinum, communitet, & simpliciter viuunt. C. si duo. de duob. fratr. de nou. ben. inuestit. & idem sentit Bal. in l. fin. C. de col.
11. Societas deniq; vectigalis (de qua in d. l. societas §. 5.) contrahi dicitur quando animo societatis contrahendae, a Republica vectigal quis ad tempus emit. l. adeo, ff. pro soc. quam citat Pet. de Vbal. tract. de duob. fratr. par. 1. Et in hac aduertas, quod finito dicto tempore, socij tacite intelliguntur obligati fisco ad retinendum vectigal pro alio tanto tempore, si in

- si in primo maximos fructus inde collegerunt. l. cotem. §. qui maximos, ff. de publ. Vnde fit vt haec societas morte non finiatur, sed ad heredem transeat, vt dicam inferius Cap. quomodo fin. societ. & tradit etiam Ang. Aret. Inst. de societ. §. socius. nu. 2. post medium; vbi in super notat hoc contra istos conducentes datia, & gabellas si multum lucrantur; Intelliguntur enim (inquit ipse) si superior vult reconduxisse pro alio tanto tempore, & si in sequenti tempore perdidit sibi debent compensare cum primo lucro. Citat. l. frono. in pri. ff. loc. MV 2
12. Haec sunt in summa societatum species, in quibus (prout iam ex dictis colligitur) quinque necessaria sunt requisita: I. quod honeste sit contracta, & honesta sit negotiatio. ad l. nec permittendum, & l. quod autem, ff. pro soc. II. quod interueniat pecunia, opera, vel industria, l. societas, ff. pro soc. III. quod aequae diuidantur lucra, & damna, l. cum duobus §. damna, & l. si non fuerint, ff. pro soc. IV. quod pecunia quam vnus ex socijs ponit, sit periculo exposita, Azor. Inst. mor. par. 3. lib. 9. de soc. & mand. c. 2. vbi citat S. Thom. 2. 2. quaestione 78. a 2. ad 5. & ibi ponit rationem. V. vero (& hoc potissimum requisitum est in omnibus societatum speciebus) quod consensus, & animus contrahendae societatis interueniat. loc. cit. c. 1. vers. dicitur, & in vers. decimo quaritur, vbi loquens in foccita animalium, dicit, quod tunc dantur animalia in societatem, quando eo animo dantur, vt comoda, alimenta, fructus, impensa, & damna sint comunia, & exemplum ponit ibid. Alias si non animo contrahendae societatis, duo, vel plures habeant rem communem, vt quia duobus haereditas est delata, vel duobus res legata, & donata, vel a duobus res empti, siue conducta, non dicuntur socij, & nec actio pro socio eis datur, sed alia particularis actio, secundum rei qualitatem, l. vt sit §. 3. cum duobus seqq. & l. cum duobus §. 2. in pri. & l. si id quod §. 9. in pri. ff. pro soc. & l. 2. ff. com. diu. Et in foccita animalium, quod si non dantur eo animo de quo supra censeantur, vel data in mutuuum, vel in venditum, vel in locatum, secundum diuersitatem conuentionis, tenet Azor. & de his omnibus late differit in suis Inst. mor. loc. cit. cap. 7. vers. 2. quaritur vsque ad vers. 10. quaritur. in quibus varias de animalibus ponit quaestiones, & pulcherrimas, quas apud eum vide.
15. Animus autem contractae, vel contrahendae societatis, ex verbis expressis, vel ex factis dignoscitur, ad tradita per Oinol. Ang. & DD. in Inst. de haeredit. qual. & different. §. fin. num. 2. Sed de hoc in sequenti capite dicam. Haec dicta sunt satis pro introductione tractatus. Modo veniamus ad quaestiones.

ARGUMENTVM.

Quomodo, & inter quos contrahatur Societas, & an sicut expresse ita, & tacite contrahi possit.

SVMMARIVM.

- 1 Societas multis modis contrahi potest, & quibus modis contrahatur, traditur nu. 2. 3. & 4.
- 5 Societas sicut expresse, ita & tacite contrahitur.
- 6 Societas contrahi potest ex consensu quomodolibet demonstrato.
- 7 Solo consensu contrahitur societas, quod repetitur, nu. 9.
- 8 Consensus declaratur non solum verbis sed etiam factis.
- 10 Non solum societates negotiationis, vniuersorum, & rei particularis, sed omnium bonorum societas tacite contrahitur.
- 11 Inter coniuges societas omnium bonorum tacite contracta non intelligitur, secus societas lucri.
- 12 Contraria in hoc Gerar. sententia adducitur.
- 13 Minores tacite societatem omnium bonorum contrahere non possunt.
- 14 In societate omnium bonorum transfertur dominium in socium.
- 15 Minor sine decreto Iudicis in alium transferre dominium rerum immobilium non potest.
- 16 Locatio inter Colonum, & Dominum societas appellatur, & declaratur quomodo procedat.
- 17 Inter Colonum etiam & Dominum tacite contracta intelligitur societas.
- 18 Inter fratres tacite contrahitur societas in eo in quo vnus intercessit.
- 19 Actibus ex socialibus demonstratur animus contrahenda societatis.
- 20 Sicut ex coniecturis declaratur.
- 21 Inter fratres non intelligitur contracta societas ex sola rerum communione, sed requiritur quod actus sociales inter se exerceant.
- 22 Etiam inter fratrem maiorem, & minorem, tacite societas contrahitur, & quomodo procedat declaratur.
- 23 Emptum a fratre, proprio nomine, manente societate, communicata debet fratri.
- 24 Stante societate pecunia ex qua aliquid emitur, praesumitur communis.
- 25 Tacite contrahitur etiam societas cum pupillo, Tutore tamen pro eo communicante.
- 26 Pupillus cum tutoris auctoritate contrahere potest.
- 27 Tutor in authorando necesse est quod loquatur, Et quomodo hoc intelligatur traditur.

Inter

- 28 Inter tutorem pupilli, & pupillum contrahi non potest societas illo modo, & num. 33. secus si tutor contutorem haberet, cui communicaret, & ei ab eo nomine pupilli communicaretur nu. 31. & nu. 32.
- 29 Contrarium in hoc ex Bireolo adducitur.
- 30 Tutor pro se authorari an possit, & nu. 28.
- 31 Pupillus societate intendente ad sui vilitatem ratificare potest.
- 32 Pupillus sine auctoritate tutoris potest sibi acquirere.
- 33 Inter Patrum, & Nepotem per continuationem negotij censetur renouata societas, mortuo Patre Nepotis.
- 34 Societas cum mulieribus tacite potest contrahi.
- 35 Societas tacite contracta intelligitur si aduocatus, vel ludimagister communicat lucrum cum alio, qui illud conseruat.
- 36 Inter virum, & uxorem tacite contrahitur societas sicut expresse.
- 37 Non intelligitur contracta societas quando fratres vel socij lucra separatim ponunt.
- 38 Sicut nec intelligitur si alter tantum eorum communicat.
- 39 In societate consensus vtriusque partis intercedere oportet.
- 40 Dissensus apparet in societate quando vnus lucra separatim ponit. Et nu. 44. & 45.
- 41 In casu quo societas contracta non intelligitur, communicans lucra videtur potius donare, quam societatem inire.
- 42 Dissensu vnius dissoluitur societas.
- 43 Minor praesumptio tollitur per maiorem.
- 44 Nec inter fratres intelligitur societas contracta, quando vnus non communicat, licet alius communicet, & simul habitent.
- 45 Contraria sententia Baldi refertur, & declaratur.
- 46 Fratres licet simpliciter simul viuant, si tamen nullam habent negociationem, nulla inter eos intelligitur societas, secus si aliter fuerit actum.
- 47 Contraria Baldi sententia refertur, & conciliatur.
- 48 Talis praesumitur mens, qualis ex actibus demonstratur.
- 49 Inter duos fratres, viuente eorum Patre, nulla intelligitur contracta societas, sicut inter nepotes, & patrum, pariter Patre viuente.
- 50 Aduentitia non conferuntur.
- 51 Societas non intelligitur inter Patrem, & filios licet lucra communicent.
- 52 Inter pupillum non habentem tutorem, & fratrem maiorem non intelligitur contracta societas, licet actus sociales exerceant.
- 53 Qui non potest expresse, nec poterit tacite consentire.
- 54 Consensum pupilli lex non habet pro legitimo.
- 55 Pupillus ratum habere poterit vtiliter gesta per maiorem, vel per patrum.
- 56 Licet pupillus sine sui tutoris auctoritate non possit alijs se ipsum obligare, potest tamen sine eiusdem tutoris auctoritate sibi acquirere.

A 4 CAPVT

Alexandri Trombetta,
CAPVT SECVNDVM.

Quomodo contrahatur, & inter quos.

Multis modis societas iniri potest: Vel enim contrahitur per nuncium, vel per literas, l. i. ff. pro socio. Item vel contrahitur purè, vel sub cõditione: d. l. i. in prin. ff. pro socio. & Ferar. in for. libel. cap. i. num. 3. & tex. in l. pen. & ibi Bal. C. pro socio. Item contrahitur, vel ad certum tempus, vel ad incertum, puta mortis. Azor. Inst. mor. par. 3. lib. 9. de societat. cap. i. Versic. tertio queritur. Item vt vnus ponat pecuniam, alter operam, vel vt ambò pecuniam ponant, & operam. l. i. C. pro socio. & l. societas, ff. pro socio. Hæc omnia scribit Azor. d. cap. i.

An autem societas tacitè contrahatur sicut expressè, dubitatur, & ideo Regulam pono in hoc secundo capite, quod sicut societas contrahi solet expressè, l. societatem Coire. 4. ff. pro socio. quod fit quando interueniente stipulatione, vel pacto societas inicitur. l. ut sit pro socio. 31. & l. nam cum 32. ff. pro socio. Ita & tacitè contrahi possit actus exercendo sociales, nempe in simul habitando, lucra communicando, & rationem illius quod superest nõ reddendo. Bart. & scribb. in l. Titium, & Manium 48. S. altero, ff. de ad. tut. & in l. i. S. si quis hoc inter dicto, ff. de iur. & act. priu. & Ruyn. cons. 92. in pr. vol. 1. & qua sim differentia Rolan. à Rod. cons. 91. nu. 24. & 27. vol. 1. Et hoc cuiuscumq; generis sit societas, vt patebit infra dicendis, & voluisse videtur Oinotamus, in Addit. litera A. titulo de societat. Instit. vbi loquens de particulari societate, citat Cynum, Oldradum, Bartolum in l. ait. S. si quis hoc, ff. de iur. & act. priu. & Mansuer. in prax. tit. de societat. nu. 14. & 15.

Huius ratio est quia societas potest contrahi consensu quomodolibet demonstrato, absque instrumento, absq; testibus, & absq; traditione rei. Azor. Inst. mor. lib. 9. par. 3. versic. tertio queritur; Imò est contractus qui solo consensu perficitur, vt Inst. de oblig. qua ex consen. circ. princ. Oinot. in tit. de societat. Instit. in princ. & l. qui admittitur 19. cum l. planè, 24. ff. pro socio. & tradit etiam Gulielmus Mayn. de reg. iur. S. socij mei socius in princ. mibi. fol. 62. vbi non potest esse societas, nisi illorum qui contrahunt consensus interueniat: At consensus declaratur non solum verbis, sed etiam factis. l. de quibus 31. ff. de legib. per quem textum notant ibi moderni, & Alber. Brum. in cons. feud. cons. 34. num. 10. quod plus operatur consensus declaratus per facta, quam per verba, & facit clarè tex. in e. causa. q. 5. cau. 32. & l. si tamen S. ei qui, ff. de edil. edict. & Io. Roncal. cons. crim. 58. nu. 6. postio inter consil. crimin. diuersorum tom. 2. qui ad hoc optima iura adducit. Ergo, &c.

Contra facere videtur, quia si sine consensu expresso societas intelligeretur

De Societate. Cap. II. 9

geretur contracta, videretur quod societas sola re posset contrahi, quod est contra textum in l. 4. ff. pro socio; Sed responsio patet, quia societas non contrahitur re sed solo consensu: l. consensu 2. ibi: societatibus: ff. de iur. & obligat. cum simill. & dixi hoc eodem cap. nu. 7. Vnde quia iste consensus declarari potest, & verbis, & factis. d. l. de quibus. firma remanet regula supradicta.

Amplia primò Regulam procedere non solum in societate negotiationis, vitæ, vniuersorum, & vnus rei particularis; sed etiam in societate omnium bonorum; hæc enim tacito quoque consensu contracta presumitur per actus sociales. tex. est in l. societatem, ff. pro socio. cum l. seq. vbi Iuriconsultus volens societatem posse contrahi, numerat etiam inter societas, societatem omnium bonorum. Et ratio potest esse quia vt supradictum fuit nu. 67. & 9. & infra dicam nu. 41. societas est contractus, qui consensu contrahitur, & consensus sicut in alijs societatibus, ita & in societate omnium bonorum, declarari potest verbis, & factis, actus scilicet exercendo sociales.

Restringe tamen primò hanc primam Ampliationem, non procedere inter coniuges; inter istos enim societas omnium bonorum tacitè contracta non intelligitur, sed lucri duntaxat, vt tenet Muñoz de ratione comput. 92. nu. 10. per iura ab eo ibid. adducta; licet contrarium sentiat Seg. in l. 1. S. si vir num. 20. ff. de acquir. possess. & Petr. Gerard. sing. 99. incip. inter virum, nu. 1. Vbi tradit quod contracta intelligatur societas inter virum, & uxorem siue sit societas omnium bonorum: per l. alimenta, S. fin. ff. de al. leg. Siue denique sit societas lucri, & quæstus: Vide eum qui exempla ponit.

Restringe secundo hanc primam Ampliationem procedere in maioribus viginti quinque annis, non autem in minoribus: hi enim sine decreto Iudicis societatem omnium bonorum contrahere non possunt, & sic expressè tantum contrahunt: Ratio est, quia ex societate omnium bonorum cum transferatur dominium rerum etiam immobilium in socium, l. i. in fin. ff. pro socio. inducitur bonorum alienatio: At minor hoc facere non potest absque Iudicis decreto, ad tradita per Oinotomum Inst. de Auit. au. S. fin. Vers. Au tutor, & curator. per l. i. iuncta l. magis puto, ff. de reb. eor. qui sub tut. vbi hoc requisitum inter alia ad alienationem bonorum pupilli ponit, & ampliat hoc procedere in omni quacumq; obligatione siue pignore per d. l. i. in prin. ibi obligatione alienari, ff. de reb. eo. qui sub. & concludit sine decreto Iudicis nulla obligatione adstringi posse bona pupilli immobilia, de quo etiam est Simoncel. tract. de Decret. & l. l. x. quæ tutores, C. de ad. tut. & tit. C. de præd. min. Ergo.

Amplia secundo regulam procedere etiam inter Colonum, & Dominum; locatio enim inter istos societas appellatur. l. cum duobus 52. S. si in cõiunda, ff. pro socio. & l. si merces 28. S. vis maior. ff. locati, & Bart. in d. l.

d. l. si merces, §. vis maior, ff. locat. nu. 3. ubi inter Colonum, & partiarum non dicitur proprie locatio, sed societas: & hoc verum esse declarat quando fundus locaretur ad partem fructuum; secus si ad certam mercedem, nam tunc proprie locationem esse subiungit nu. 9. & 10. Vnde si y. g. Colonus finito tempore locationis in re contracta remaneret, locatio ex integro facta intelligitur, & sic tacite societas reuocatur ad litem quaritur §. qui implato, & l. qui ad certum, ff. locati.

18. Amplia tertio Regulam non solum procedere inter duos, vel plures extraneos, sed etiam inter fratres in simul habitantes, & indiuisam Patris hereditatem tenentes, in eo scilicet in quo usus intercessit, ut quia ambo negociabantur, ambo artifices erant, & ambo lucra communicabant, tunc enim tacite inter eos particularis societas contracta presumitur, si particularia lucra communicent; sicut omnium bonorum si simul habitent, & lucra vnde cumq; quaesita communicent; facit tradita per Bart. in l. 1. in fin. ff. de concu. Petr. Gerar. sing. 99. nu. 2. in cap. inter virum. Oinot. in Inst. de societ. in pri. litera A. in prima, & secunda addit. Ubicitat Bart. in d. l. 1. Si quis hoc interdicit, ff. de i. act. priu. Bart. in d. l. Ticius, §. altero, nu. 5. ff. de ad. tut. & l. cum dubus 32. §. Papinianus, ff. pro socio. Et ita voluisse Cyr. & Oldrad. testatur idem Oinot. loco cit. Cast. conf. 349. vol. 1. Inf. in l. 1. §. qui testa. facere pos. Crauet. conf. 155. num. 10. & 3. Et per Franciscum Viuium libro secundo opinionum communium, opinio ne 728. qui loquens in societate omnium bonorum hanc opinionem communem dicit, & praeter supradictos DD. refert Corn. conf. 24. vol. 4. Cap. conf. 40. Dec. conf. 21. 66. & 86. Lud. Rom. conf. 191. nu. 4. & alios, & ad ista vide Alex. conf. 49. vol. 1. & conf. 37. vol. 4.

Huius autem Ampliationis ratio praesertim esse potest, quia tales actus, citra ius, & nomen societatis celebrari non possunt. l. pro herede, ff. de arq. hered. Et societas consensu contrahitur, & animus contrahendae societatis, ex actibus socialibus demonstratur, pro ut dixi, & est l. 4.

19. Et l. si margaritam, 44. ff. pro socio. Sicut etiam ex coniecturis declaratur, l. 1. cum gl. C. de Sicar. & not. glo. in l. Fulcinus, §. primo, ff. qua ex cau. in pos. Alex. conf. 224. in cap. viso processu in pen. colum. Bal. in l. 1. in 3. col. C. de ser. fug. & Alber. de Ross. in secunda par. Statuti quest. 206.

20. Restringe tamen hanc Ampliationem quando fratres post mortem Patris communiter solummodo viuunt, & supradictos actus sociales inter se non exercent; Nam quod omnium bonorum societas contracta non intelligatur, est Menoch. de arbitr. lib. 2. Cent. 2. cas. 127. nu. 15. & faciunt, quae dicam infra hoc cod. cap. nu. 50. & 51. & Ceph. conf. 247. nu. 43. volum. 2. ubi voluit quod ex sola cohabitatione societas non inducatur.

21. Amplia quarto procedere regulam etiam inter fratrem minorem, & maiorem, si maior gerit negocia communia, & minor maior factus incipit

incipit lucrari ex opera, & industria sua, & uterq; pro communi vtilitate lucra ponunt; Tunc enim tacite intelligitur contracta omnium bonorum societas, & ex his operibus, siue artificijs quaesita, erunt communia pro equis portionibus, licet vnus plus lucratus fuisset quam alter, l. per ea, quae dicit Bart. in d. l. Ticius, & Menium, §. altero, ff. de ad. tut. & Pet. de Perns. tract. de duob. frat. par. 3. versic. circa primum dubium. Vbi subiungit, quod si vnus ex istis fratribus, puta frater primus ex parte sui lucri emerit aliquid suo nomine, tunc tale emptum debere communicari, vel saltē pro parte refici alteri fratri medietatem. Ad hoc etiam facit tex. & gloss. in l. si quis societatem contraxerit 75. ff. pro socio. Vbi emptum communicatur si socij sint omnium bonorum; secus si negociationis particularis. Et ratio esse potest, quia stante societate tacite, ut supra contracta, pecunia ex qua talis emptio fuit facta praesumitur esse communis ad tradita per Bald. in l. sed & socius §. si absentis, ff. pro socio. & in l. si patruus C. co. vi. Et pro hoc facit etiam, quod dixi supra cap. 1. nu. 8. & 9. ubi in societate omnium bonorum communicantur omnia quaecumq; honesta ratione acquisita.

22. Amplia quinto regulam etiam procedere in Pupillo habente Tutorem; licet enim cum pupillo regulariter nunquam praesumi possit societas. Alex. conf. 35. par. 4. Bal. in l. cum oportet in pri. in 2. col. ad fi. C. de bo. qua lib. Soc. conf. 192. vers. circa secundum cum seq. Tamen si pupillus habeat Tutorem, tutor ipse pro pupillo communicet, & ei communicetur, 23. quis tacite intelligitur contra here societatem; Ratio esse videtur, quia Pupillus cum Tutoris autoritate contra here potest, l. ut in conductio nibus in fin. ff. pro socio. Et se ipsum obligare. Oinot. in Inst. de Auth. tut. ver. An & quando auctoritas nu. 5. & vers. Pupillus contrahendo, nu. 13. fallentia secunda, & faciunt a cont. sens. quae dicit Regid. Lusit. coment. in l. ex hoc iure, ff. de iust. & iur. cap. 5. de contract. min. nu. 19. 20. 21. & Socin. iun. in Rubr. de verb. oblig. coment. nu. 123.

24. Nec obstat textus in l. 1. in fin. ff. de aut. tut. Vbi in authorando necesse est quod tutor loquatur, & l. ubi non voce, ff. de reg. iur. Bart. in l. 1. §. mutus, nu. 1. ff. de tut. & Oinot. in Inst. de aut. tut. §. tutor nu. 2. Vbi tenet quod ad essentiam praestationis auctoritatis, exigatur sermo, & quod nec nutu, nec signis auctoritas interponi possit, & citat gloss. & DD. in l. etiam ubi imo oportet eum loqui, ff. de aut. tut. Quod etiam expressē sentit Ang. Aret. in Inst. §. Astionum super verb. tutela. De act. vers. 54. Vnde ex eo quod consensu careat concludi posse videtur, quod tantummodo expressē, non autem tacite possit contrahi; Non obstat (inquam) nā procedit hoc in actibus expressis; id est quae fieri debent per actum verbi, non in actibus tacitis; in his enim non est opus sermone tutoris, sed sufficienti tacito consensus, prout in casu nostro per communicationem demonstratur. Hoc modo resoluit, Muñoz. de ratiocin. cap. 6. num. 61. &

voluit Bald. in l. si parruus, C. com. ut. ind. & Bald. in l. mandatum col. 2. op. posit. 3. vers. alij dicunt. Cod. mand. & Guliel. Mayn. in d. l. ubi non voce nu. 4. Vbi etiam subiungit, quod Tutoris consensus ante negociationem, vel post incontinenti demonstratus habet vim auctoritatis.

28 Restringe hanc quintam Ampliationem non procedere inter Pupillum, & Tutorem; Nam hoc casu non contrahitur societas, quæ contrahi non potest sine consensu, & auctoritate Tutoris, ut dicitur in conditionibus: At tutor Pupilli pro se ipso auctorari non potest ff. de auct. tut. & ibi Bart. nec sibi met communicare, cap. sen. de in futu. Ergo, &c.

Contra minorem propositionem huius restrictionis facere videntur tum ea, quæ tradit Soc. cons. 140. vers. sed contra præmissa cum vers. seq. par. 2. ubi voluit inter pupillum, & Tutorem contrahi, & renouari posse societatem; Tum etiam ea, quæ refert Jo. Bolognet. in l. ff. de acq. pos. nu. 314. Vbi licet primò recenseat tutorem sibi tradere, & auctorari non posse, tamen dicit Bartolum in l. singularia, ff. si certi. per. col. 3. tenuisse, quod imò tutor possit sibi tradere, & cum pupillo negociari, dummodo palàm, & bona fide faciat per l. quoties, §. non tantum, & l. non existimo, ff. de ad. tut. cum concord. ibid. adduct. Et hanc communiter teneri restatur idem Bolognet. hac ratione præsertim, quia tutor gerit vicem duarum personarum, tutoris scilicet, & privati, ita ut tamquam tutor non possit, tamquam verò privatus possit negociari, & sibi tradere: nihil enim impedit contractus facere cum pupillo nisi suspicio fraudis, quæ tollitur si palàm, & bona fide negociatur. Tu tamè cogita. Ego nò discederem a restrictione nostra, ista namq; distinctio personarum in Tutore, quam ponit Bolognetus, nimis subtilis mihi videtur, & nescio quomodo suspicio fraudis possit abesse à Tutore, siue consideretur tamquam tutor, siue tamquam privatus.

31 Intellige tamen hanc restrictionem locum non habere quando frater maior, vel aliquis alius, qui erat tutor minoris, habebat contutorem, & uterque illorum habebat administrationem in solidum; Tunc enim, si frater maior tutor communicat alteri contutori Pupilli, & ei communicatur intelligitur, inter Pupillum, & alterum tutorem, contracta societas. arg. eius quod dicit Bald. in l. cum ipse Cod. de contr. aben. emptio.

32 Amplia sextò (& hæc ampliatio venit illatim ex supradictis) procedere regulam inter tres fratres, quorum duo sint maiores, & tertius sit minor, & vnus ex istis maioribus tutor sit minoris? Si enim iste frater maior actus exerceret sociales, & tam nomine proprio quam minoris communicaret alteri fratri maiori, & ei ab eodem communicaretur, tacitè inter ipsos contrahitur societas, ad egregiè tradita in simili per Bald. loco citat. superius. Ratio deducitur ex supradictis, quia quo ad maiores, nullum dubium est quin omnem societatem contrahere possint, per ea, quæ dixi supra hoc eod. cap. ampliati. vltia. num. 28. Quæ verò ad

ad minorem pariter, & ipse poterit societatem particularem tamen contrahere dummodo tutoris in hoc auctoritas interueniat; dixi supra Ampliatione supra num. 25. 26. prout hoc casu interuenisse intelligitur, inspectis actis socialibus per fratrem tutorem factis, & inspecta rerum, nomine proprio, & pupilli, communicatione, per ea quæ pariter dixi loco proxime citato, num. 27. Dixi in pupillis particularem tantum societatem contrahi possi, quomodo omnium bonorum societas non contrahitur ab ipsis sine decreto Iudicis. vide sup. hoc eod. cap. Ampliat. prima vers. Restringe secundo nu. 14.

33 Restringe tamen hanc sextam Ampliationem non procedere quoad Pupillum, & fratrem tutorem; Nam inter eos solos dici non potest contracta societas, quia tutor in re propria non potest auctorari: Dixi supra Ampl. quinta vers. Restringe hanc quintam, num. 28. cum seqq. Poterit tamen hoc casu Pupillus; maior factus videns hanc societatem tendere ad sui utilitatem ratificare, Alex. cons. 35. Bald. in tract. de duob. frat. in add. ad Bart. & facit quod dicit Bald. in l. cum inter C. arb. tut. Vbi habet, quod Pupillus approbare possit in sui fauorem contractum etiam nullum, allegat l. Iulianus, §. si quis, ff. de act. empt. & hoc dictum refert Ant. Corset. sing. incip. Pupillus in secunda col. Et ratio est, quia Pupillus licet non possit se obligare sine tutoris auctoritate, habet tamen privilegium ut sibi possit acquirere, §. Pupillus, Inst. de inut. stip. cum concord. inf. hoc eod. cap. allegand. num. 59. 60. & c. Qnot. Inst. de aut. tut. num. 6. Vbi dicit, quod Pupillus sibi potest alium obligare sine tutoris auctoritate, quia cessat ratio tutela, quæ est ne impuberes aliquod damnum incurrant; quod repetit etiam idem Qnot. eodem titulo, §. neque autem, nu. 1.

35 Amplia septimo procedere etiam regulam inter Patruum, & Nepotem si Patruus mortuo eius fratre negocia cum nepote continuat, & cum illo indiuisam substantiam retinet: Tunc enim licet morte fratris extincta videatur societas, prout dicam inf. titulo 6. quibus mod. finiat, vers. sic, sexto finitur. Tamen propter continuationem in negocijs Patru cum nepote, videntur societatis nomine continuare, ita ut inter istos tacitè intelligatur contracta societas. tradit Bald. in l. mandatum, num. 3. Cod. mand. quem refert, & sequitur M. de ratioci. cap. 6. num. 60. l. nam & Sernius, §. si viuo, ff. de neg. gest. Ant. cons. 32. Dec. cons. 66. Crau. cons. 131. nu. 12. cons. 159. nu. 1. Vol. 1. Io. Caph. cons. 247. nu. 1. & 34. vol. 2. Et vide, quæ in proposito renouationis societatis dicam inferius d. cap. 6. limitat. quart. ad vers. sic. Sextò finitur. Et ratio est, quia à primordio tituli posterior formatur euentus. l. 1. Cod. de impon. lucr. & l. actione, §. morte, vers. sed quod ex re, ff. pro soc.

36 Amplia octauò regulam procedere etiam cum mulieribus, potè enim cum ipsis etiam contrahi societas. l. alimenta. §. fin. ff. de al. & cib. Imo in l. rei indicata, §. socero, ff. sol. matr. & vide Bal. omnino in d. §. socero. Amplia

Amplia nonò regulam procedere etiam in societate officij; quando enim Aduocatus, vel officium magistratus, vel legendi, vel militandi, 37 vel alicuius negociationis exercens, ponit in cōmuni quidquid acquirit, & alter cum nihil acquirat omnem operam, & diligentiam habet pro communi commodo, tunc tacitè inter istos contracta intelligitur societas, & ideo in dubio omnia equaliter, societate finita, debent diuidi. *l. si non fuerint in. pr. ff. pro socio. & facit l. societates. S. societas autem, ff. pro socio.* Sunt enim actus, qui animum contrahendæ societatis tradunt, *l. 4. & l. si margaritam, ff. pro socio.* In ò celebrari non possunt tales actus citrà nomen societatis. *l. pro her. de, ff. de acq. hered.*

38 Amplia vltimò regulam procedere etiam inter virum, & uxorem; Inter istos enim contrahitur societas tum expressè, tum tacitè, & us scilicet exercendo sociales: ad tradita per Per. Gerard. sing. 99. num. 1. ubi exempla ponit. Et vide, quæ dixi superius hoc eod. cap. vers. Restringe tamen primo num. 11. Probant hanc Ampliationem. *Bened. in reper. cap. Raynucius fol. 132. col. 3. de test. & Io. Lup. in rep. rubr. de donat. int. vir. & uxor. col. 121. & seq. ubi late.*

39 Limita Primò supradictam regulam non procedere inter fratres, qui licet simul habitent, licet negociantur, lucra tamen non conferunt, sed ea separatim ponunt; Tunc enim inter eos non intelligitur contracta societas, nam potius animus dissoluendæ, quàm contrahendæ societatis ostenditur, *l. itaque, ff. pro socio. & faciunt tradita per Azor. Instit. mor. par. 3. lib. 9. de soc. & mand. cap. 6. vers. Secundo queritur.* Vbi dicit tacitè dissolutam societatem intelligi ex sola separatim lucrorum positione.

40 Limita Secundò non procedere regulam etiam si vnus socius lucra communicabat; nam si alter separatim lucra ponebat non intelligitur contracta inter istos societas. Ratio est, quia ad hoc vt societas contra-

41 hatur consensus vtriusque socij intercedere oportet. *l. vt sit, ff. pro socio. & faciunt tradita per Megid. Lusit. in lex hoc iure, ff. de iust. & iur. com. cap. 4. num. 3. & seqq.* Vbi loquens de personis, qui propter consensus defectum contrahere non possunt, dicit quod si non adsit parium simultaneus consensus, nullus est contractus; Imò quod in societate requiratur consensus, & quod solo consensu perficiatur, est Oinot. *Instit. lib. 3. de societ. in princ. & id. Oinot. Instit. lib. 3. de oblig. versic. de contract. nu. 20.* Vbi tradit consensus ita esse de substantialibus contractu, vt sine illo omninò nulli sint. Quare cum non videatur consensus vtrius-

42 que interuenire hoc casu, imò potius appareat dissensus illius, qui separatim ponebat. *d. l. itaque.* Societas non potest dici tacitè contracta.

Nec obstat, quod qui communicat videatur, & dicatur consentire societati; Nam respondeo, quod dicitur magis donare, quàm societatem contrahere, *l. societates, S. donationis causa, ff. pro socio. & faciunt tradita per Bartin l. si paruus, 4. num. 9. Cod. com. Ver. ind. Vbi quando societas*

cietas non potest intelligi contracta (vt hoc casu in quo non interuenit consensus vtriusque partis) tunc communicans videtur potius donare, quàm societatem contrahere: stat igitur conclusio, quod in casu limitationis supradictæ societas contracta non intelligatur.

Extendo hanc secundam limitationem, vt nec dicatur inter istos societas contracta, etiam si ille, qui lucra separatim ponebat, poneret operam suam, & diligentiam in communi patrimonio; Illamque lucrorum separatim positio facta per vnum ex illis, ostendit (vt diximus) nedum animum non contrahendæ societatis, sed etiam contractæ dissoluendæ, *d. l. itaque, ff. pro socio.* Dissensu enim vnus dissoluitur societas, *l. si d. & socius, S. si absentis, ff. pro socio. & scribitur mot. & DD. in S. m. met. Instit. de societ. in princ. & faciunt tradita per Dec. in l. nihil tam naturale, ff. de reg. iur. num. 35. per illum tex. & l. 1. Cod. quand. lic. & c.* Et in proprijs his terminis faciunt optimè, quæ scribuntur per Azor. *Instit. moral. par. 3. lib. 9. de societ. & mand. cap. 6. versic. Secundo queritur,* Vbi tacitè per dissensum renunciari posse scribit, id est quando vnus socius separatim negociari cepit.

Nec obstat quod ille, qui lucra separatim ponat, operam in communi re, & diligentiam adhibeat, ex quo posse præsumi videtur animus contrahendæ societatis cum altero, qui lucra communicat; Nam respondeo quod hæc præsumptio tollitur per aliam maiorem, nimirum per lucrorum separatim positionem, *l. diuus, ff. de in int. rest. & alijs regulariter tradunt DD. & præsertim Alciat. reg. 2. de præsumpt. Masc. de probat. vol. 3. concl. 1224. A. g. d. Lusit. in lex hoc iure, ff. de iust. & iur. com. par. 2. c. 1. num. 14. quia hoc citat d. l. diuus, c. transmissa. Qui fil. sint legit. & Monoch. de præsumpt. lib. quæstione 30. & clarè Franc. Viu. com. opin. lib. 2. opin. 841. nu. 19. post Alex. ab eo citat. conf. 124. col. 2. vol. 4. & Bald. in l. fin. ff. de hered. inst. Ang. in l. pen. ff. de cond. ind. & Lud. Rom. in conf. 156. incip. Honorande Domine.* Vnde quia illa lucrorum separatim positio certò demonstrat animum societatem (etiam si contracta fuisset) dissoluendi, vt superius dixi per *d. l. itaque, ff. pro socio.* Ea non obstantè operarum positione, contracta societas tacite intelligi non potest.

48 Limita tertio regulam in fratribus quorum vnus tantum uegotiatur, alter vero non; Tunc enim licet isti fratres simul habitarent, tamen cum alter eorum (scilicet, qui non uegotiatur) nihil ponit in ea, tacite contractam esse societatem dici non potest, *l. 5. in fin. ff. pro socio.* Vbi in fine hanc dicit rationem esse, quia si videretur hoc casu inita societas, ille qui uegotiatur, magis videretur donare, quàm societatem inire; quod tamen præsumendum non est. Hanc limitationem probat *Ceph. conf. 247. nu. 14. vol. 2. & tex. in l. fin. C. de mu. & hon. lib. 1. c. ubi gl. & in l. 1. C. qui test. fac. pos. Vbi Ias. & Dec. & in lex parte, S. filius, ff. fam. hercis. & in l. cum duobus, S. si frater, ff. pro socio. & Ias. in l. si emancipati,*

eo. 3. C. de colla. Quare consequens est, ut hoc casu quaesita ab altero fratre communicari non debeant, ut l. si patruus, Cod. com. ver. iud. & l. eum duobus, S. si fratres, ff. pro socio. secundum Bar. in l. Titium, & Manium, S. altero, ff. de ad. tut.

49 Contra hanc tertiam limitationem tenere videtur Bald. in d. l. si patruus, Cod. com. ver. iud. Vbi dicit quod videatur contracta societas, si alter ex fratribus quaesita ex negotiatione communicat; Et idem repetit in Additione quam facit ad tractatum Bart. de duobus fratribus. Tu tamen ne recedas a limitatione praedicta, nam si bene perpendantur verba Baldi diffonare non videntur a nostra limitatione, prout ex declaratione infra ponenda num. 51. videbis.

50 Limita quartò regulam non procedere inter fratres, qui licet indivisam hereditatem possideant, & una simpliciter vivunt, tamen nullus eorum negociatur, unde quaesita possint sibi inuicem communicare. Tunc enim etiam si, ut dixi, indivisam hereditatem simul teneant, nulla inter eos censetur contracta societas, l. ut sit pro socio, ff. pro socio. & Franc. Viu. com. opin. lib. 1. opin. 338. num. 6. in fin. Vbi testatur idem voluisse, & consuluisse post Bartolum. Ruin. cons. 29. nu. 15. vol. 5. & Aug. Aret. Inst. de societ. in princ. num. 4. ubi declarat quando fratres in communione manentes dicantur socij omnium bonorum. Hoc tamen intellige nisi aliter sit expressè actum, l. ex parte, S. filius, ff. fam. hercis. secundum Bart. in d. S. altero. Hanc limitationem probat Bart. in d. l. si patruus, 4. nu. 9. Cod. com. ver. iud. & Bald. tract. de duobus fratribus, num. 21. Vbi societas tacite non potest intelligi ubi non est commercium negocij, per l. nec adiecit, ff. pro socio. Et Oinot. Inst. de action. S. quaedam actiones, vers. de act. fam. hercis. nu. 56.

51 Contrarium tamen videtur tenuisse Baldus in d. l. si patruus, Cod. com. ver. iud. dum dicit, quod etiam si nullus ex fratribus negociaretur, potest ex actibus apparere socialis effectus; & exemplum adducit de nobilibus qui non faciunt quaestuaras negotiationes, & tamen ex eo, quod simul habitant, & dona, & salaria, & c. huiusmodi conferant, praesumitur (inquit ipse) societas contracta. Hanc Baldi opinionem vidi ego apud Baldum, d. l. si patruus. Et postea inveni Angelum Aret. Inst. de soc. in princ. num. 4. illam referentem, & attestantem Salicetum in d. l. si patruus vers. quare igitur. Bal. sic dicentem reprehendisse.

In hac DD. alteratione, & contrarietate declaratu cum Perr. de Petrus, tract. de duobus fratribus par. 2. vers. circa secundam quaestionem; Et concilia hanc Baldi opinionem cum limitationibus nostris, hoc modo: Aut isti fratres, quorum nullus, aut alter eorum tantum negocia-
batur, nihil inuicem conferebant: Aut conferebant dona, salaria, & alia similia, prout fieri solet inter nobiles, & Doctores. Primo casu licet simul fratres habitent, cum nulla interueniat lucrorum comunicatio,

nec

nec contracta societas potest intelligi; lucrorum enim comunicatio, est societatis inchoatio secundum Bald. in d. l. si patruus. Et in his terminis intelligendae sunt limitationes nostrae supradictae. Secundo verò casu, nempe si isti, licet non negociarentur, communicarent salaria, & c. intelligitur contracta societas, in illis tantummodo quae conferuntur, & communicantur, non in alijs; & in his terminis loqui Baldum dicendum est, & sic nostris limitationibus non aduersatur, immo huic ego assentio quia isti sunt actus qui citra ius, & nomen societatis geri non possunt, ad quorum qualitatem est recurrendum cum talis praesumatur mens, qualis ex actibus demonstratur. dixi supra hoc eod. cap. num. 19. & seq. & est tex. in l. duo fratres, ff. de acq. hered. & l. reprehendenda, Cod. de inst. & subst. Vbi factis dicitur intelligi voluntas, & faciunt tradita per DD. & praesertim per Fabr. Inst. de hered. qualit. & dif. S. fin. Bald. in c. 1. De pac. ten. in vs. seu. & Mart. in cons. criminal. 21. incipien. Vocem meam, num. 16.

Limita quintò regulam non procedere inter nepotem & patruum, vel inter duos fratres, qui vivente etiam Patre, sub cuius sunt potestate, simul habitarent, & negociarentur; Nam hoc casu non contrahitur inter ipsos societas. Bald. in l. cum oportet. in princ. col. 2. ad fi. vers. quare quare, C. de bo. qua lib. & in l. si fratres, ff. pro soc. Vbi ideo dicit quod & c. Si communicant fratri possunt repetere communicatum, quia quilibet quaerit sibi adventitia, nec tenetur conferre. l. fin. Cod. de collat. Oinot. Inst. de act. lib. 4. S. quaedam actiones, num. 41. & not. in l. & qui originem, S. fin. ff. de mun. & honor. & l. si fratres, S. idem Papinianus, ver. quamuis, ff. pro soc. & l. frater a fratre, ff. de con. indeb. Extende hanc quintam limitationem, ut nec de bonis adventicijs fratres societatem inire possint: ex eo enim quod in his bonis Pater habet vsumfructum, sine consensu ipsius non poterunt fratres societatem contrahere. Hanc extensionem probat Bertach. in suo rept. par. 5. littera S. ver. societas contrahitur, vers. 23. ubi citat Bald. in l. cum oportet in 2. col. in fi. ver. quare fratres, C. de bo. qua lib. per l. si. S. filius, eo. tit. limita 6.

55 Limita sextò non procedere regulam inter filium & Patrem: licet enim filius quaesitum Patri conferat, inter istos societas contracta non praesumitur. arg. l. prator, S. secundo, ff. de eden. & vide Bald. in l. filia, Cod. fam. hercis.

56 Limita septimò regulam non procedere inter pupillum non habentem tutorem & fratrem maiorem, vel alium; Nam hoc casu licet simul habitarent, aliosque actus exercerent sociales, non intelligitur contracta societas, l. ut in conductionibus, in fi. ff. pro socio. Et ratio est quia sine tutoris auctoritate Pupillus non potest obligari. l. obligat. ff. de auth. praestan. Ergo nec poterit societatem contrahere. Faciunt ad hoc tradita per Ant. Corset. sing. incip. Pupillus. per tex. in tit. Inst. De auth. tut. in princ. Oinot. Inst. lib. 1. De auth. tut. ver. sic. An & quando tut. auth. sit nec. num. 8. Vbi ratione

B

ponit,

ponit, nempe quia lex non habet consensum Pupilli pro legitimo cum nullum sit eius ætatis iudicium. *citat l. pupillus, ff. de reg. iur.* Et in terminis huius nostræ limitationis loquitur Franc. *Viu. opinion. com. lib. 2. opin. 677. num. 1.* Vbi pupillus sine tutoris autoritate non potest contrahere societatem, nec expressè, *vt habetur, l. 1. C. pro socio. Capr. conf. 17. nu. 3.* Nec tacite, *vt Crauet. conf. 286. nu. 1.* Et facit ad hoc, *l. qui ad certum, ff. locat.*

58 Vbi qui non potest expressè nec poterit tacite consentire.

Sublimiter tamen hanc limitationem quando Pupillus suo nomine utiliter gestum per fratrem maiorem, vel per Patruum, ratum haberet, quod facere potest, *l. si pupilli. in prin. ff. de neg. gest. & facit d. l. vt in conditionibus. secundum Bald. in add. quam facit ad tract. Bart. de duob. fratrib. quæ sequitur Franc. *Viu. opin. commun. 677. num. 1. & Alex. conf. 49. col. 2. & seq. vol. 1. & Crau. d. conf. 286. num. 1.* Nam pupillus vt superius dixi num. 34. licet sine tutoris autoritate non possit se obligare, potest tamen sibi acquirere, ad egregiè tradita per Ant. Corset. in d. sing. incip. Pupillus. per tex. in tit. *Instit. de Auth. tut. in prin. vbi Oimor. nu. 8. & S. Pupillus. Instit. de inut. stip. & l. seruum. in fi. ff. rem pup. sal. for. & facit glan. l. in negocijs. ff. de reg. iur. & l. donatarum. Cod. de acq. possess.**

ARGUMENTVM.

Non potest socius sine consensu socij alium socium in societate assumere, & si assumit tenetur assumens de facto assumpti, erga socium; sicut è contra tenetur de facto socij erga assumptum.

SVMMARIVM.

- 1 Socius sine consensu socij alium in societate assumere nequit.
- 2 Societas consensu contrahitur.
- 3 Socius mihi non est quem ego socium esse nolo.
- 4 Si socius alium assumit, tenetur erga consocium de facto assumpti, sicuti è conuerso de facto socij erga assumptum.
- 5 Culpa assumpti imputatur culpa assumentis. & nu. seq. in fi.
- 6 Sibi imputet socius si socium negligentem admisit.
- 7 Nec maiori partii sociorum licet sine consensu socij, alium in societate assumere.
- 8 Cum illo qui non consentit numquam societas contracta intelligi potest.
- 9 Socijs non licet, ius non consentientis ad alium transferre, nec res communes plus parte sua alienare.

- 10 Scholaris inuitis alijs socijs alium loco sui in camera ponere non potest.
- 11 Qui societatem contraxit, certam personam elegit.
- 12 Iura loquentia de socijs adaptantur ad Scholares.
- 13 Scholares commorantes in eadem domo dicuntur socij, & ideo non potest vnus esse Iudex contra alium.
- 14 Vbi eadem ratio, ibi etiam idem ius statuitur.
- 15 Equiparatorum idem est iudicium.
- 16 Quotiescumque duo equiparata reperiuntur à lege, disposita in vno censentur disposita in alio, & quomodo hoc procedat, ponitur remissiuè.
- 17 Socius absens potest alium loco sui substituere, quod fallit secundum Baldum quando substitueretur minor 18. annorum.
- 18 Reprobatur hæc Baldi opinio, cum minor etiam in pupillari ætate possit esse procurator ad negocia, secundum communem.
- 19 Assumptus assumentis solummodo socius dicitur, & inter eos consistit obligatio.
- 20 Tenetur socius erga consocium de facto assumpti, etiamsi cedat iura quæ contra assumptum habet.
- 21 Si socius admittens fuerit non soluendo, conueniri potest admissus in substitutum, etiamsi admittens socio iura non cessisset.

CAPVT TERTIVM.

An possit socius sine consensu socij. &c.

- 1 **D**uplicem in presenti capite regulam constituo; prima est quod socius sine consensu socij alium in societate assumere non possit. *tex. est in l. qui admittitur 19. ff. pro socio, & faciunt quæ per illum tex. tradit Azor. *Instit. moral. lib. 9. part. 3. cap. 5. in fin.* hoc potissimum fundamentum, quia societas consensu contrahitur. *l. vt sit 31. cum l. seq. ff. pro socio. & ego plenè dixi in duobus superioribus capitulis.* Ergo nec mihi socius esse poterit quem ego socium esse nolo. *d. l. qui admittitur. 19. ff. pro socio.* Vbi hoc quasi de verbo ad verbum posito fundamento subdit in l. sequenti. *quod socij mei socius, socius meus esse non dicitur.* Hoc etiam tradit magistraliter Guliel. Mayn. in *S. socij mei socius. De reg. iur. in prin. & num. 1. mibi fol. 62.* & succinte posuit etiam idem Azor. *Instit. mor. par. 3. lib. 9. de societ. & mand. d. cap. 5. in fine.**
- 2 Secunda Regula est quod si socius assumit alium, teneatur ipse assumens erga socium de facto assumpti, & è contrario de facto socij erga assumptum. Huius ratio est quia si assumptus fuit in culpa, negari non potest culpam socij admittentis non fuisse. *l. de illo. 23. ff. pro socio, & ibi glo. in verb. admissum, vbi allegat concordantem tex. in l. 1. S. diceisse. ff. de vi. & vi arm.* Ergo ex culpa socius assumens socio tenebitur. Sibi